

1723

1. Bauder, Christianus Gottlieb : *De bibliothecis*.  
legatis . . . Dissert ac. . . Relatum sibi prospecti  
bibliothecae . . . acad. . . munus . . . significat.  
et ad visitandam . . . Apollinis et musa-  
rum hoc templum . . . invitat.
2. Vietmarus, Joh. Wilhelmus : *Programma de praescriptione  
anomala, Disputationibus publicis ad Ludwicis  
exercitaciones praemissum*
3. Fickius, Jo. Jacobus, Coll. med. Decanus : *Propenflicon  
in quo: De generali tuberculosis criseas et ejus factac  
signis, Dissertationi Samuels Arnoldi de febribus  
praemissum.*
4. Schroeterus, Jo. Christianus : *De relaxatione juris  
mentorum*.
5. Schroeterus, Jo. Christianus, Fac. iur. Decanus : *Pragmata  
magistrorum universitatis Joh. Henrici Rassori  
praemissa.*

1723

- 6<sup>ta</sup> : Schroeterus, Dr. Christianus : De probatione  
per testes et presumtiones iurisque foremento  
judiciale et necessario in processu executio  
locum habente. Eampl. 1723 et 1744.
7. Schroeterus, Dr. Christ. : De date in secundo mense  
monte - facie renovata
8. Nevgius, Dr. Philippus, Coll. jas. Recens : Programma  
Populacionis - - Canti Michaelis Heriburgi (oral  
missum).
9. Nidellus, Joannes Wolfius : Re febris.
10. Nidellus, Joannes Wolfius : Re haemophysi
11. Wideburgius, Dr. Bernhardus : De estimatione sum-  
marum pro aedificiorum structuris.
12. Wideburgius, Dr. Bernhardus : De imperfectione  
Calendarii Gregoriani ejusque anno 1724. Diorganica  
a Calendarii corripto.


1723.

13. Wildvogelius, Christianus : *De servitio fidelium ex alio modo praestandis*.

14. Wildvogelius, Christianus, 1st. iur. Decanus : *De legibus inenarrabilibus art. fin. C. de tabulari. (ad Disputationem sollemnem Iuris Kavendi Beli inv. sed.)*

15<sup>a</sup>.<sup>b</sup> Wildvogelius, Christianus, 1st. iur. Decanus : *Pro grammatica. De legibus imperfectis ad h. l. s. 1. Repiani Cod. (ad Disputationem sollemnem in 'lichii' Rudolphii Schultes inv. sed) 2. Exempl.*

16<sup>a</sup>.<sup>b</sup> Wildvogelius, Christianus : *De fontibus iuris Romani et nonnullis usq; hadriano. 2. Exempl.*



*R. M. 14.*  
*Dub. 17. num. 7.*  
XIV  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA 1823, 4

# RELAXATIONE IVRA. MENTORVM

*QVAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

*DOMINO*

# GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE VVESTPHALIAE ET RELIQUA

*PRAESENDE*

*DOMINO*

# IO. CHRISTIANO SCHROETERO

IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO CVRIAEC PROVINCIALIS  
ATQVE SCABINATVS NEC NON FACULTATIS IVRIDICAE

*ADSESSORE*

*PATRONO ET PROMOTORE SVO OMNI PIETATIS  
CVLTV DEVENERANDO*

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI  
PVBLICAE ERVITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

*RESPONDENS AVTOR*

# JOHANNES HENRICVS RASSOVIVS

GADEB. MEGAPOL.

DIE XX. NOVEMBR. M DCC XXIII.

*L. H. Q. C.*

*IENAE*  
TYPIS IOH. ADOLPHI MULLERI.



VIRO MAGNIFICO  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO AC  
PRUDENTISSIMO  
IOHANNI IACOBO  
FABRO  
SAC. ROM. IMP. LIBERAEREL.  
PVBL. HAMBVRGENSIS  
CONSULI

SVMME MERITO  
DOMINO AC PATRONO SVO  
GRATIOSISSIMO

DISSERTATIONEM HANC IN AVGV-

RALEM

CVM VOTO


OMNIGENAE PROSPERITATIS AC FELICITATIS

DICAT AC DEDICAT

MAGNIFICO IPSIVS NOMINI  
ADDICTISSIMVS

JOHANNES HENRICVS RASSOVV.

DI XX NOVEMBRIE M DC XXXII



Thef. I.



Ecepta huc usque de Jura-  
mentis eorumque solutio-  
ne ac relaxatione doctrina  
circumsepta est tot distin-  
ctionibus omni rationabili  
fundamento destitutis, &  
parum aut nihil significan-  
tibus, ut, si distinctiones  
istas sequi vellermus, non solum a plurimis  
contradictionibus securi haud esse possemus, sed  
& tempus huic labori destinatum explicandis il-  
lis minime sufficeret; quare missis istis tricis, no-  
stram de hac materia mentem brevibus & facili  
methodo proponere constituimus.

Thef. II.

Ante omnia vero necessum erit definitionem

A iura-

iuramenti veram ac adæquatam fundamenti loco ponere, ex qua postea, ordine plane naturali, consequentias, sanæ rationi conformes, colligere licet. Rectam enim & sanam hac in materia rationem auctoritatibus Doctorum æque ac auctoritati Juris Pontificii longe præferendam esse ducimus. Quippe quod Jus Canonicum in translatione hujus materiæ interesse Cleri & Monarchiæ Papalis pro unica fere norma habeat, ut eam ob causam rationibus a Pontificiis traditis secure niti non liceat.

## Thes. III.

Est vero Juramentum asseveratio promissiōnī adjecta, qua significat promissor, nisi præstiterit, renunciare sese misericordiæ divinæ. Quæ definitio ex ipsis colligitur verbis, quibūs eisentia Jurisjurandi continetur, nimirum, *Ita me adjuvet Deus*. Neque obstat, quod Jusjurandum non solum promissorium, sed aliquando affirmatorium dici possit: nam qui affirmationem juramento confirmat, promittit se vera responderē. Unde prono nisi sequitur, quod abstrahendo a legibus civilibus, non magnum usum habeat distinctio juramenti in *confirmatorium*, quod accedit promissioni separatim factæ, & promissori-

*sorium*, cum quid directe promittitur jurato. Nam ut ex iam dictis patet, utrumque hoc juramentum promissorium est, utrumque obligationem aliam confirmat, sive ea sit præcedens, sive concomitans.

## Thes. IV.

An jurare licitum sit nostrum non est demonstrare. Si quis dubitet, an sibi liceat conscientia sua dubiæ optime consulere potest, si legat id, quod habet Vener. D. Buddeus in *Theol. morali. P. II. cap. III. Sect. V. §. X.* Ex allata vero Jurisjurandi definitione patet, juramentum esse accessorium promissionis cuiusdam principalis, cui adjicittur, illiusque naturam induere, adeoque non producere novam obligationem, sed antea existentem solummodo confirmare, conf. Buddeus. loc. cit. §. XII.

## Thes. V.

Nec est, quod dicas, hoc modo juramentum, obligationi jam antea firmæ accedens, esse supervacuum. Nam introductum est jusjurandum, ut major metus violandæ fidei, quam is, quo homines (quos facta nostra latere possunt) timemus, divinæ potentiae consideratione atque religione incuteretur: & licet omnes non Athei

A 2 cre-

credant Deum violationem promissorum etiam injutorum vindicare, iisdem tamen haud quicquam vane persuasum est, acerbius puniri, qui iram Dei expresse provocaverit, ac quantum in se fuit, ad ipsius misericordiam viam sibi præclusit.

## Thes. VI.

Promissionis objecta sunt actus, qui vel præcepti, vel prohibiti, vel indifferentes. Hac distinctione duce totum de Juramentorum relaxatione laborem absolvemus, posthabitis ceteris omnibus, quibus scatent nonnullorum Doctorum libri, distinctionibus.

## Thes. VII.

Actus cuiusdam indifferentis promissio per se valida est, nec juramento indiget; pactum enim nudum non minus obligat, (uti ex ipsa jurisjurandi definitione intelligi potest) quam id, in quod juravimus. Pactum enim est quo adstringimur; juramentum ad punitionem divinam attinet, quam provocare ineptum esset, si pacti violatio non esset per se illicita, illicita autem non esset, nisi pactum esset obligatorium. Si vero tali promissioni juramentum accesserit, eo fortius obligat, quia virtus juramenti consistit in confirmatione obligationis jam an-

te

tea existentis, & hoc casu jurandum est instar geminatae promissionis.

Thef. VIII.

Licet vero ex promissione ejusmodi jurata jurans omnimodo obligatus sit, interim tamen Principi competit potestas effectum juramenti tollendi, ejusque obligationi efficaciam in foro externo ob justam causam adimendi. Est enim jurans prius obligatus Principi, quam se alteri juramento obstrinxit; Inde juramento ab obsequio superiori debito se liberare nequit. Ut autem Princeps jus quæsumum etiam alteri ex juxta causa auferre potest; ita nullum dubium est, posse cum illud quoque jus, quod alter ex promissione juramento confirmata consecutus est, justa causa id exigente, tollere. Fons hujus juris est Mæstas, seu summa Principi in Subditos competens potestas. vid. Joh. Sam. Strykii *Meletem. de Jura. Mel. III. cap. II. §. II.*

Thef. IX.

Hoc est, quod a Doctoribus relaxatio juramenti vocari solet. Unde Doctores relaxationem definiunt, quod sit Potestas majestati competens vi cuius sumimus Princeps, vel cui ille hoc committit, aliquem a juramento inique extorto

liberare atque obligationem inde profectam tollere potest, ut impetrans conscientiam suam salvare, sine metu perjurii agere, & jus suum prosequi possit.

Thes. X.

Quam vero relaxationis definitionem minus accuratam esse inde probbo. Dicitur enim in ista: relaxationem esse potestatem Principi competentem, vi cuius aliquem a juramento iniuste extorto liberare, atque obligationem inde profectam tollere possit. Jam autem inferius demonstrabimus Juramentum inique extortum, nullam omnino producere obligationem, adeo, que ab illo nulla relaxatione opus esse.

Thes. XI.

Rectius ergo relaxationem circumscribendam puto, quod sit potestas Majestati competens, vi cuius Suminus Princeps, vel cui ille hoc committit, aliquem a promissione alias valida, & per consequens a juramento quoque huic promissioni adjecto, tollendo scilicet ex iusta causa obligationem ex jurata ista promissione alteri quæsitam, absolvere potest, ut impetrans in eum Ratum redeat, in quo, antequam jura verat, fuit.

Thes.

## Thes. XII.

Sequitur inde, quod alteri jus ex jurata permissione quæsum, non ex qualibet sed ex justa solummodo causa, auferri possit; veluti, si salus publica, tanquam suprema lex, vel ipsa æquitas id suadeat; Princeps enim & boni & æqui moderator est.

## Thes. XIII.

Nec dubitandum, quin subditi salva conscientia Principi, prædicto modo effectum jurisjrandi tollenti obsequium præstare possint; Et iam si enim juramentum nullum vitium in se habeat, atamen hoc casu per jurantem non stat, quo minus impetratur juramentum, nec is perjurus est, qui non potest auctoritate superioris impeditus, servare juramentum, sed qui non vult, cum posset. Ex quo fluit non licere salva conscientia petere a Principe relaxationem juramenti in se validi, quia sic proprio ausu quis recederet a nexu juramenti, quod in foro interno non potest non esse perjurium, nam is qui intentionem tantum habet non servandi juramentum legitime præstitum, jam tum, ex sententia Moralistarum, perjurus est. Unde satis constat, quam male consulatur conscientiis communi illa doctrina, quod a juramento etiam valido

valido peti a Principe posse relaxatio. Stryk. in  
Melet. III. cap. 2. §. 31.

## Thes. XIV.

Prohibiti cuiusdam actus promissio per se  
invalida est, ideoque per juramentum, tanquam  
accessorium, nullamque novam producens ob-  
ligationem, nihil novi roboris accipit: & quia  
hoc modo ex jurata ista promissione nulla orta  
est obligatio, nulla quoque relaxatio a juramen-  
to praestito locum habere potest; privatio enim  
presupponit habitum, & ubi nulla exstat obliga-  
tio, ibi quoque nulla datur ab obligatione absolu-  
tio.

## Thes. XV.

Qui vero tale juramentum praestituit arbitra-  
rie puniri potest, imo debet, non solum quod  
actum legibus prohibitum promisit, sed etiam pro-  
missionem istam juramento confirmare voluit,  
hocque facto exiguum satis, qua Deum colit,  
reverentiam prodidit, & aliis conscientia tenera  
præditis scandalum præbuit.

## Thes. XVI.

Licet vero jurans alteri se obligare non po-  
tuerit, quia lex obstabat, adeoque nulla relaxa-  
tione opus habeat, interim tamen peccati assump-  
tionis

tionis (uti vocant) nominis divini in vanum re-  
us erit, a quo ut absolvatur utique necessarium  
multis videri posset; veluti hanc circa absolu-  
tionem supremam sibi potestatem Pontifex Ro-  
manus tribuit, *S. T. Gratian. Disc. for. c. 233.*

*n. 56.* inter Protestantes vero ad Consistoria ea  
referri solet. Attamen si jurantem hujus peccati  
serio peccat, hac tali absolutione indigere non  
magis videtur, quam quivis aliis admissi grati-  
am, etiam haud salutato Consistorio, a Deo be-  
nignissimo impetrans. Nisi quod si ipse jurans  
conscientiae suæ forsitan scrupulosæ melius consule-  
re putet per absolutionem expressam a Consisto-  
rio impetratam, nihil obstabit, quo minus illam  
legitimo modo, ad promovendam animi tran-  
quillitatem, & ad removenda omnia, quæ forsitan  
emergere possent dubia, petat.

*Theſ. XVII.*

Jurata super actum legibus præceptum fa-  
cta promissio, sine dubio maxime obligatoria  
erit. Sic v. gr. legibus præceptum est Civibus,  
ut Magistratui suo municipali obsequium debitum  
præſtent, si igitur Civis obedientiam huic Magi-  
stratui votet, nil aliud agit, quam ad quod jam  
antea erat obligatus, per expreſſe vero factam,

B

& qui-

& quidem juramento accedente promissionem, eo fortius se obstringit. Ex justa tamen causa tale juramentum infringendi potestas Principi haud deneganda erit. Justa vero erit causa vel necessitatis, vel utilitatis publicae, vel summae aequitatis.

Thes. XVIII. His fundamenti loco suppositis, ad speciales quosdam casus nunc progrediendum, quibus Dd. relaxanda esse iuramenta strenue asterunt. Ubi primum locum obtinet juramentum vi metuque extortum, in quo fere omnes relaxationem necessariam existimant. Quam sententiam antequam sub examinis incudem vocemus, primo occurrit praetrialis quæstio; an sc. iuramentum istud fuerit validum an invalidum, de quo ut recte iudicare possumus prius videndum an promissio, ad quam quis metu adactus est, sit obligatoria? Si enim hæc tanquam negotium principale, nulla est, haud dubie etiam iuramentum tanquam accessorium erit invalidum.

Thes. XIX. Nostram de ultima quæstione, an scilicet promissum vi metuque extortum sit obligatorium? sententiam antequam exponamus, paucis dicens.

dicendum erit de distinctionibus, quæ a Dd. hic adhiberi solent. Distinguunt enim inter metum gravem absolute, vel ratione habita personæ metuentis, & levem ; illatum iuste & iniuste ; ab eo cui promittitur vel ab alio : item inter actus liberales & onerosos : & pro his diversitatibus alii actus dicuntur irriti, alii ad arbitrium promittentis revocabiles, alii in integrum restituendi, non sine magna sententiarum varietate circa hæc singula, vid. Grot. *de J. B. & P.* lib. 2. c. II. §. 7.

## Thes. XX.

Grotius, cum quo & alii faciunt, promissum metu extortum obligatorium esse vult, quia in promittente adest intellectus & voluntas, dum electionem habet, an minarum & periculi eventum exspectare, an vero hoc promittere velit ; cum itaque verus adsit consensus, veram quoque adesse Jure naturæ obligationem statuit loc. cit. Ad adductam Grotii rationem respondit Stryk. *Mel. III. cap. 2. §. 14.* paëta non esse negotia unilateralia, sed bilateralia ; ut itaque pactum aliquod pro valido haberi possit requiri, ut a nulla parte adsit vitium, quia alias totum negotium esset vitiosum & invalidum. Requiritur vero ad imputationem promissorum, ut non so-

lum aliquis voluntarie promiserit, sed &, ut ille, cui promittitur debite f<sup>e</sup> gesserit. Ergo imputatur quidem promissum auctori, i. e. qui voluntarie promisit, sed ad imputationem hic non sufficit, quod promittens voluntarie promiserit, sed & requiritur, ut alter ius acceptandi habuerit. Jus enim ex promisso post acceptationem oritur. Cum enim obligatio semper referatur ad alium, cui quid est præstandum; adeoque illi respondeat in altero ius, cuius vi exigere queat obligationis impletionem; non sufficit ad eandem generandam, ut in uno sint principia obligationis producentia, sed in altero quoque requiruntur principia ad Jus querendum idonea. Citra ius quippe obligationi respondens, nulla intelligi potest obligatio. Et nihil debeo, si nemo iure me poscere quid potest. Pufendorf. *d.*  
*J. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 10.*

## Thes. XXI.

In hactenus dictis totius huius quæstionis resolutio latet. Ex parte promittentis enim metus non potest impedire, quo minus eius actio voluntaria sit, quia voluntas semper coniuncta est cum spe & metu. Ergo in tali promisso metu facto videndum, an metum incutiens ius & pote-

potestatem habeat metum incutiendi, an minus. Priori casu imputatur promissio, quia metum inferens habet potestatem acceptandi; posteriori non imputatur, quia metum incutiens non habet potestatem acceptandi, ut pote qui peccavit contra regulas iusti, ideoque ex facto suo iuri & æquitati contrario, nullum ius acquirere potest.

## Thes. XXII.

Ex his vero porro sequitur, neque iuramentum tali promisso metu extorto adiectum validum esse, vel obligationem ullam producere. Juramentum enim tanquam accessorium induit naturam negotii principalis, cui accedit, si ergo hoc non est obligatorium, neque iuramentum obligatorium esse poterit. Insuper in omni iuramento tres requiruntur Comites, veritas, iudicium & iustitia, quibus deficientibus iuramentum nullum est, ipso iure Canonico consentiente. c. 2. Caus. XXII. qu. 2. & cap. Etsi Christus 26. X. de jurejur. at in iuramento metu extorto deficit iudicium, quod nihil magis impedit, quam vis & metus, contentiente Struvio diff. de relax. juram. ad effect. agendi. c. 2. §. 11. deficit quoque iustitia, licet enim is qui vi & metu adatus iurato promisit, iniuste non agat, metum

B 3

tamen

tamen iniiciens contra iustitiam quam maxime facit, & hoc quoque facto impedit, quo minus obligationem ex tali promisso sibi acquirat.

## Thef. XXIII.

Quanquam autem hoc casu metum infrenentem nullum ius in promittentem consequi statuit Grotius d. I. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 14. nihilominus tamen iurantem Deo obligari, ut stet iuriurando, putat. *I. c.* Fundamentum huius sententiae est falsa ista hypothesis de promiseione Deo in iuramento facta, quod tamen non solum naturae iuramenti, sed etiam ipsius definitio ni ac iuri naturali directe contrariatur. Deus enim in iuramento ut testis invocatur, testi vero nil promittitur, aliud enim est promittere, aliud in testimonium aliquem vocare. Exemplum a Grotio adductum ex *Ezech. XVII. v. 12. 13. 15.* ubi videmus Hebreos reges & a Prophetis increpatos & punitos a Deo, quod fidem iuratam Babiloniis Regibus non servassent, huc minime quadrat, ibi enim non est quæstio de iuramento vi metu que iniusto, sed inctu maxime iusto extorto, nemo

nemo enim negare audebit, Regem eos, quos  
victor bello subegit, cogere & iure quidem pos-  
se, ad promittendum etiam iurato obsequium.

## Thes. XXIV.

Ipsum quoque Jus Canonicum, cuius de  
hac materia doctrinæ, uti iam antea monui, fal-  
sissimæ sunt, ne quid gravius dicam, ac sanæ ra-  
tioni quam maxime contrariæ, in *cap. XXVIII.*  
*x. de jurejur.* ubi iuramentum in actu legibus  
prohibito præstitum servandum præcipit, limita-  
tionem addit, modo sine vi & dolo sponte præ-  
stitum. Et in *cap. IV. x. de his quæ vi metusve*  
*causa &c.* expresse dicitur: ea, quæ vi metusve  
causa fiunt, carere debere robore firmitatis, ne-  
que additur relaxatione illa opus esse. Addatur  
*can. 22. C. XXII. qu. IV.* ubi satis clare docetur:  
Juramentum non ob hoc fuisse institutum, ut  
esset vinculum iniquitatis &c. et porro: eum,  
qui metum incusit, perjurum esse, non eum,  
qui iuramentum metu exactum non servat: sunt  
quidem alia loca in corpore Juris Canonici, in  
quibus iuramenta metu præstata valida pronun-  
ciantur. vid. *cap. 8. x. de jurejur.* sed eiusmodi  
contradictiones in iure Canonico non esse infre-  
quen-

quentes omnibus iuris huius peritis lucidum atque manifestum est.

## Thes. XXV.

Ex hactenus dictis luculenter apparebit iumentum metu præstitum invalidum esse, adeoque Doctores absque ratione ac ulla necessitate ad eius relaxationem provocare. Sed accidere potest casus, ut tertius quidem metum iniiciat, eum in finem, ut alteri, qui huius delicti particeps non est, promittam, annon hoc casu relaxatio locum habebit? Dico, nec tunc ad præstandum id, quod juravi obligatum me esse, licet enim alteri per alterum, seposita iuris Romani disciplina, obligatio acquiri omnino possit, attamen legitimo modo hoc fieri debet, & vitium istud, quod illum, qui mihi metum intulit, impedit, quo minus ei obligatio ac ius ex tali promisso acquiratur, obstat quoque ei, qui ex iniuria mihi ab altero illata, commodum haurire cupit. Si vero ex metu imminentis cuiusdam periculi, tertio sponte aliquid promitto, ut a tali, quod metuo, periculo, ipsius auxilio me liberaet, omnino ipsi obligatus sum. v. gr. si homines quosdam armatos conduco, ut mihi iter facienti contra latrones adfiant, sine dubio ex hoc

hoc pacto ipsis obligatus ero ; imo ingrati ani-  
mi quoque, non solum perfidiae crimen contra-  
hit, qui in rebus angustis constitutus largis pro-  
missis alios in auxilium sollicitat ; post ubi eo-  
rum ope periculum evasit, moras necesse institu-  
it. Pufendorf. L. 3. c. 6. §. 11.

## Thes. XXVI.

Sequitur iuramentum dolo exactum, quod  
relaxatione omnino opis habere communiter  
d. statuere, nec tamen absque notabili contra-  
dictione Strykius *Melet. III. c. 2. §. 17.* annota-  
vit. Nam, verba eius sunt, concedunt fere om-  
nes, iuramentum dolo elicitem esse invalidum  
& nullam obligationem producere. Struv. *d. disp.*  
*c. 2. §. 15.* Rebhan. *diff. de relaxat. a jurament.*  
*præst. c. 4. §. 8.* Joh. Jac. Geiger *diff. argent. de*  
*absolutione a juram. c. 3. §. 18.* (uti etiam, si hoc  
non concederent, ex rationibus a Pufendorfio  
*de I. N. & G. I. 4. c. 2. §. 7.* Mevio *discus. lev.*  
*inop. debit. c. 9. n. fin.* aliquique adductis sufficien-  
ter probari potest) & tamen requirunt relaxatio-  
nem. Quæ duo, iuramentum invalidum & nul-  
lum dicere, & tamen, id relaxandum esse, sta-  
tuere, annon sint contraria, cuiilibet iudicandum  
relinquimus. Hactenus Strykius *l. c.* ubi etiam

C

ad

ad instantiam, ab exemplo Iosuæ qui iuramentum Gibeonitis præstitum, etiamsi dolus eorum causam dederit, tamen servandum esse existimat, delumentam, respondit.

## Thes. XXVII.

Circa hoc iuramentum Grotius distinguendum putat, an certum sit, eum, qui iuravit, aliquid factum supposuisse, quod revera ita se non habeat, ac nisi id credidisset, non fuisse iuraturum, & hoc casu iuramentum non obligare statuit. At, si dubium sit, an non etiam sine eo idem fuisse iuraturus, standum esse verbis credit, quia simplicitas quam maxima iuramento convenit. *d. I. B. & P. l. 2. c. 13. §. 4.*

## Thes. XXVIII.

Sed, ut illo casu error obficit, quo minus iurantem stringat, L. B. de Lynker *Resol.* 117. p. 140. vid. *infr.* §. 32. *segg.* ita posteriori quoque hoc casu iuramentum non obligare certum est. Nunquam enim is, cui iuratum, probare poterit, iurantem etiam absque isto adhibito dolo fuisse iuraturum, quarendiu iurans hoc negat, & dolose ad iurandum se inductum dicit. Accedit, quod in eo, cui iuratum, pariter ac in illo, qui metum alicui iniecit, vitium lateat; sicuti enim

enim omnis vis a contractu bilateralis abesse debet, ita quoque dolus, & si pactum, ad quod quis vi metuque compulsus, vitiosum & invalidum est, istud quoque eodem vicio laborabit, ad quod quis dolo inductus est.

## Thes. XXIX.

Nec est, ut quis auctoritatem **Juris Canonici**, iuramenta metu & dolo praestita valida pronunciantis, & relaxationem exigentis, hic urgeat; praterquam enim, quod textum expressum de dolo elicito iuramento hactenus invenire mihi non licuit: nam quae loca a Dd. allegantur c. 8. § 15. x. de iure iuri. c. 2. § 4. de his quae vi metu-  
ve causa &c. tantum de iuramento metu extorto loquuntur; etiam supposita hac eius doctrina non tamen auctoritatem **Juris Canonici**, hoc ca-  
su nos stringere existimo, dum ipsius dispositio & ipsi naturae rei & aequitati naturali e diametro est adversa. Unde & Strykius constantem optimorum Doctorum sententiam esse afferit, non aliter nos stringere ius **Canonicum**, quam quo-  
usque illud, quod disponit, aequitati est conveniens. Et licet Jus **Canonicum** etiam in foris Pro-  
testantium in materia iuramentorum in primis sit receptum, attamen hoc intelligendum erit, in

quantum eius dispositio iuri ac æquitati naturali non est adversa, nec iniustitia ipsi subsit; ostensa ergo iniquitate, corruit eius obligatio. Neminem ex delicto suo commodum sentire debere, firma regula est, eum vero, qui dolose agit delinquere non solum contra leges civiles, quæ dolum ab omni contractu remotum volunt, sed & contra ius naturæ, aperto constat, unde facile conclusio sequitur, ex ipsius dolo commodum illum sentire hanc debere, leges quoque non succurrunt decipientibus, & in dolo versantibus, sed deceptis. Probato ergo dolo, ut corruat obligatio ex tali promisso orta, necesse est, cessante vero obligatione principali, cessare quoque iuramentum tanquam eius accessorium, iam supra demonstravimus, igitur neque hoc casu, non magis ac in præcedenti, a iuramento relaxatione opus est.

## Thes. XXX.

Dicis: Tale dolo elicitum iuramentum circa æternæ salutis dispendium servari potest, ergo servandum c. 8. & 28. x. de iure iur. sed respondeo: in cit. capit. 28. expresse additur restrictio; modo iuramentum sine vi & dolo præstitum, ut ita etiam ex mente Pontificis iuramenta vi, seu metu

metu & dolo extorta corruant, etiamsi circa dispendium æternæ salutis servari possint. Præterea sub hac Juris Canonici Regula latet arcanum politicum Papatus, quod eleganter ostendit Ill. Dn. Thomasius in *Fundament. Jur. Nat.* & *Gent. lib. II. cap. IX. §. 5. 6. seqq.* conf. eiusd. *Cautel. circ. præcogn. Jurisprud. Eccles. cap. 13. §. 2. ibique alleg.*

## Thes. XXXI.

Unde facile apparet, quid sentiendum sit de *cap. 8. & 28. x. de iure iur.* aliisque capitulis, in quibus ista fundata est regula, omne iuramentum quod circa dispendium salutis æternæ servari potest, servandum esse, nec opus fuerit pluribus firmisque, quamquam haud longe quaerendis rationibus falsitatem huius prædictæ regulæ demonstrare. Quid quod ipsum Jus Canonicum hanc regulam ipso facto evertat, nam si omne iuramentum quod non vergit in æternæ salutis dispendium necessario servandum est, iniquissime conceditur absolutio a tali iuramento & relaxatio, hanc vero dum Jus Canonicum concedit, eo ipso regulam istam, ut iam dixi, evertit.

## Thes. XXXII.

Jam sequitur conclusio, quæ ita se habet.

C 3

Quia

Quia pactum sive promissum dolō elicitum nullum est, ergo & iuramentum tanquam eius accessoriū, & quia nullum est, nulla quoque relaxatione opus habet, conf. circa dolum ex re & ex proposito diversimode disputantes Sichard. ad Auth. *Sacra menta puberum C. si adv. vend.* n. 40. Mudæ de Refit. in integr. ad d. Auth. Maurit. de Refit. in integr. c. 122. n. 8. Brunneimann. ad d. Auth. n. 10. Bachov. in *neot. d. t. Cephall. Conf. 208. n. 11. seqq.* Sed quid sentiendum erit de iuramento errore præstito? Pufendorfius hic distinguendum vult, utrum ad paciscendum quis per errorem fuerit motus, an vero error circa rem, de qua pactum initum est, versetur. Circa prius itidem putat dispiciendum, an res sit adhuc *integra*, an vero *minus*. Si ex errore ad paciscendum aut contrahendum fuerim impulsus, eumque re *integra*, & quando nihil adhuc fuit præstitum, deprehendero, æquum sane existimat, ut facultas poenitendi mihi concedatur; præsterim ubi præ me tulero, dum ad paciscendum accedo, quæ me causa ad hoc impellat. Verum, ubi res non amplius est *integra*, & ubi error patuerit, quando iam pactum est impletum, ex toto aut ex parte; qui erravit rescisionem contractus

tractus urgere non posse, nisi quantum alter ex  
humanitate velit indulgere, censet. *de J. N. & G.*  
*lib. III. cap. VI. §. 7.* Ast ubi error contigerit circa ipsam rem, de qua convenitur, paetum vitia-  
tur non tam ob errorem, quam quia legibus pa-  
eti non fuit satisfactum. *vid. plur. Pufendorf. l. c.*

## Thes. XXXIII.

Alii distinguunt inter errorem circa substantia-  
lia & accidentalia, alii aliter; sic v. gr. in contra-  
ctu emtienis venditionis distinguunt, an error  
occurrat in *materia*, an in *forma*; an in *materia*  
*subjectiva* & quidem circa ipsam *personam*, an in  
*qualitate* eius: an in *materia objectiva* tum *cor-*  
*poris*, tum *pretioris*. *Corporis* error respicitur tum  
*in se*, tum in *accessoriis*. *Quoad corpus in se er-*  
*ratum est, vel in substantia vel qualitate, in sub-*  
*stantia vel tota vel in parte.*

## Thes. XXXIV.

Quamquam vero haec distinctiones sua utili-  
tate haud careant, interim tamen missis illis, pri-  
mum fundamenti loco ponemus certam acubivis  
receptam regulam, quod error nocere debeat er-  
ranti, ergo qui ex errore contractum init, regu-  
lariter illum servare tenetur, nisi is, cum quo con-  
traxit huic errori ansam praebuit, quod sit vel do-  
lo,

lose, vel absque dolo pariter ex errore; illo ca-  
su contractus atque promissum ex errore præsti-  
tum ob adhibitum alterius dolum nullum est,  
consequenter etiam iuramentum isti adiectum,  
quod eam ob causam nulla indiget relaxatione;  
hoc casu propter errantis deficientem consensum  
tanquam principium obligationis promissum æ-  
que nullum erit, ergo &c eius accessorum iura-  
mentum scilicet. vid. L. B. de Lyncker *Resol.* 117.  
ubi iuramentum errantem non stringere pluribus  
docet.

## Thes. XXXV.

Sed quid si alter pacientium ex errore qui-  
dem commotus contraxerit, erroris vero causa  
est tertius quidam altero, cura quo contrahitur,  
huius erroris plane ignaro. v. gr. Patrifamil. pe-  
regre versanti falso nunciatur equos ipsius domi  
periisse, quam ob causam circa alios emendos  
contractum init; sed antequam traditio pre-  
tii aut equorum fieret, secus se rem habere com-  
perit. Si quæ nunciata sibi fuerant sciente ven-  
ditore tanquam conditionem, sine qua non,  
supposuerit, utique cum Pufendorfio *loc. supra*  
*cit.* statuendum, ad implendum contractum em-  
torem adigi non debere. Sed si supponamus,

cmto-

emtorem quidem hanc conditionem animo habuisse, inscio tamen venditore, tunc omnino emtor ad implendum contractum, errore hoc non obstante, adigendum esse, cum conditio ista in mente retenta in præiudicium venditoris nihil operari debeat. Quin potius obtinebit hoc casu regula, quod error debeat nocere erranti non vero tertio, in quo nullum est vitium, quod impedit, quo minus ipsi ius ex isto contractu queratur; imputet enim sibi emtor, quod nuncio isti fideim habuerit, antequam de ipsius veritate plane fuerit convictus. Hoc casu ergo ex contractu, nulla erroris ratione habita, plena obligatio orietur, ergo & iusurandum ipsi adiectum erit validum, ut adeo nullum relaxatio locum inveniat, nisi forte in casu necessitatis, si scil. salus publica id suadeat.

## Thes. XXXVI.

Speciales hic enumerati calus exempli loco positi sunt, ut nobis occasio esset regulas istas, quas initio statim dedimus, generales applicandi, quare non erit necesse plures enarrare, quia quilibet facilis negotio principia suppeditata ad alios obvenientes, in quibus communiter a Dd. relaxatio desideratur, casus applicare poterit. Illud

D.

tan-

tantum addimus, quod iam ante etiam annotavit Stryk. *Mel. III. cap. II. §. 25.* nec praxi illam Doctorum sententiam omnino convenire. Ult plurimum enim citra exactiōnēm relaxationis talia iuramenta statim pro nullis solent declarari. Ita, si quis alterum conveniat ex contractu, etiam iuramento confirmato, reus vero excipiat de dolo, metu, &c. non prius solet pronunciari: *das vor allen Dingen der Eyd zu relaxiren*, sed statim reus, si dolum, metum &c. probaverit, absolvitur. Et quamvis quibusdam in locis aliud obtineat, praxis tamen illa non uniformis est, ut adeo regula generalis inde formari nequeat.

## Thes. XXXVII.

Nunc de relaxante agendum est, qui vel superior est iurante, vel par. Illi enim, cui aliquod ius ex iurata promissione quasitum, liberum est illud remittere, & per consequens etiam iuramentum tanquam accessorium, uti ipsi liberum fuit promissionem iuratam acceptare. Ut hinc non minus instantiam patiatur illorum assertum, qui per hominem remitti iuramentum posse, abscline negant cum Gratiano *Disc. forens. P. 1. c. 215. n. 61. & 63.* quam istorum, qui, ut supra diximus, ex iuramento principaliter Deo obligationem

tionem acquiri censem: si enim hoc esset, ei, cui iuratum est, neganda foret potestas remittendi iuramentum, quia per illam remissionem, ius, ut ita loquar, Deo quæsum, Deo afferretur, quod tamen in nullius hominis potestate situm est. Superiores communiter distingui solent in ecclesiasticos & seculares, quid vero de hac distinctione sentiendum, paucis indicabimus.

## Thes. XXXVIII.

Qui duplicem in Republ. statuunt potestatem, alteram civilem sive secularem, alteram ecclesiasticam, quarum una alteri non subsit, sed utraque summum exerceat imperium, merito suspecti sunt. Hi enim statum in statu formant, quod ad arcana politica Cleri papalis pertinet. Cum utique Ecclesia, i. e. multitudo Deo servientium, imperio civitatis, sive Reipubl. sit subiecta, neque per se constitutum statum, quare supervacanea fuit ab omni tempore disputatio: an status Ecclesiæ debeat esse Monarchicus, uti Pontificii volunt, an Democraticus, an Aristocraticus, pro qua sententia a Protestantibus plerumque pugnatum fuit. Conferendus hic omnino Pufendorfius in commendabili tractatu suo *de habitu Religionis ad Rempublicam*.

D 2

Thes.

Theſ. XXXIX.

Unus est in Republ. Imperans apud quem summa potestas reſidet, coeteri in Republ. degen-tes ſunt ſubditi, cuiuscunq; conditionis ſint. Quia vero ipſe Princeps omnibus negotiis, quæ in Republ. geruntur, haud par eſt, ideo Miniftis o-pus habet, quos officiis certis præponit, ita v. gr. alii præſunt rebus Feudalibus, alii Cameralibus, alii denique aliis. Iſtud vero Judicium cui co-gnitio rerum ad religionem ipectantium a Prin-cipe commiſſa, Consistorium audit, omnem ve-ro, qua gaudet, potestatem, omneque Jus quod exerceſt a Princepe habet, & quicquid agit, No-mine Principis agit, ex quo fluit, Principi com-petere Jus circa laſra & Religionem, quia ſi ipſi non competitoret, aliis potestatem de iis cogno-scendi ac iudicandi concedere haud poſſet; ne-mo enim plus Juris in alium transferre poſt, quam ipſe habet.

Theſ. XL.

Ex hiſ intelligere licet, quo iure Consistoriis adſcribatur potestas relaxandi iuramenta, quando ſcil. a Princepe commiſſum Consistorio eſt hoc relaxandi ius, alias non. Nam & a proprio Prince-pis auditorio haud aliter exerceſti potestatem hanc,

hanc, nisi commissam, constat, vid. Carpzov. *in Proc. tit. 3. art. 4. n. 29. segg.* add. Pufendorf. *de J. N. & G. lib. IV. c. 2. §. ult.* Errant igitur, qui putant Principi quidem non competere ius relaxandi, bene tamen Consistoriis; si Principi esset denegandum, quo iure Consistorium hanc potestatem exercere vellet, cum alio, quam quod a Principe habet, iure non gaudeat. Latius hoc deducere possemus, si ex professo de iure Principis circa sacra agere constitutum nobis foret, sed quia, ut iam antea monui, tempus huic labori destinatum nimis breve est, ab aliis, quae hic immisceri possent, merito abstinemus.

## Thes. XLI.

Principi ergo competit potestas relaxandi ex iusta causa iuramentum per se validum. *vid. l. ult. D. ad Municipal.* Hoc assertum magna non opus habere probatione existimo. Subditi enim prius speciali nexu Principi ad obsequium obligati sunt, antequam se obligarunt alteri per contractum; non ergo potuerunt obligatione posteriori a debito antiquiore se liberare. Accedit, quod Princeps non solum Reipubl. sed & privatorum negotiorum summus sit Director, ut haec etiam saluti publice & aequitati convenient; hinc,

D 3

si uti-

si utilitas publica & æquitas id postulet, obligationem quamcunque etiam perfectissimam dirimere potest. conf. Stryk. *Melet.* III. cap. 2. §. 29. Schütz *Coll. iur. publ.* Vol. II. D. 8. tb. 16. lit. A. Schilter. *manuduct. phil. mor.* c. II. §. 22.

*Thes.* XLII.

Supereft, ut brevibus agamus de differentia inter relaxare iuramenta, & iuramenti effectum tollere, que quidem distinctio aliis magni momenti videtur, Principi potestate effectum iuramenti tollendi, non vero illud relaxandi tributibus. Quid enim, aiunt, relaxare aliud est, quam tollere vinculum? sed vinculum iuramenti tollere in nullius hominis est potestate, quam illius, cui quid iuratum est, qui remittendo iuramentum, eius vinculum simul tollit. Aut enim iuramentum est validum, aut invalidum: hoc casu non adest vinculum, & sic non opus est relaxatione, illo casu nulla potestas est humana, quæ iuramentum in se validum & obligatorium rescindere & annullare possit. Stringit enim iuramentum conscientiam, cum Deus ut vindicta invocatus sit, si quis iuramento promissa non servaverit, a quo nexu iurahem liberare, eique vindictam divinam remittere nemo potest. Nec obstat

obstat, Principi ius tollendi effectum iuramento-  
rum competere, nam hoc ipsum a relaxatione  
toto coelo differt, ibi iuramentum in vigore re-  
linquitur, hic totum eius vinculum tollitur, quæ  
duo sunt diversissima &c. &c.

*supradicti utriusque Thes. XLIII.*

Enimvero, si quod res est dicendum, mihi  
sententia hæc, quæ Principi potestatem iuramen-  
tum relaxandi denegat, ins taltem effectum iura-  
menti tollendi ipsi tribuens, falsa ista hypothesi,  
de promissione Deo in juramento facta, niti vi-  
detur, quam hypothesis tamen nec ipsi dissen-  
tientes per omnia agnoscunt, & quam in ante-  
cedentibus sanæ rationi ac naturæ iuris iurandi  
quam maxime contrariam demonstravimus. Si  
vero hæc hypothesis falsa est, distinctio quoque  
inter relaxare & effectum iuramenti tollere neces-  
fario corruet.

*supradicti utriusque Thes. XLIV.*

Id quod inde probo. In iuramento nulla  
Deo fit promissio, accedit modo promissioni al-  
teri factæ, quare nullam obligationem producit,  
sed iam antea existentem solummodo confirmat,  
ergo iuramentum sine præcedenti obligatione  
non intelligitur, neque aliud vinculum inducit,

quam

quam quod per promissionem iam antea inductum fuit. Si ergo vinculum obligationis ex promissione alteri quæsitæ, a Principe ex iusta causa tollitur, iuramentum quoque, quia nullum aliud vinculum habet, ipso facto corruit, ergo falsum est, quod iuramentum in vigore relinquatur sublata obligatione cui accesit; hoc assertum enim presupponit obligationem quandam ex ipso iuramento ortam, nullam vero iuramentum producere obligationem, iam supra demonstravimus.

## Thes. XLV.

Nullum iuramentum stricte loquendo, relaxatione opus habet, si enim invalida promissio cui accesit, per se nullum est, si valida, iuramentum quidem validum quoque est, sublata tamen a Principe ex iusta causa obligatione cui accesit, sponte corruit, quod autem in antecedentibus in primis *ib. 41.* tribuerimus Principi potestatem relaxandi ex iusta causa iuramentum per se validum, id ideo factum, ut clare appearat, si opus foret speciali relaxatione, tunc illum esse faciendam a nemine, nisi a Principe, ergo nec a Clerico, nec a Consistorio, nisi ipsis ex speciali gratia a Principe concessum sit hoc  
jus;

ius; est enim ius validam obligationem rescindendi, & alteri ius legitime quælitum auferendi, particula maiestatis. Quare nec iudiciis supremis effectum iuramentorum hoc sensu, quo nos id accipimus, si scil. obligatio & ei accedens iuramentum sine vitio sit, tollere licere, nisi prius requirito Principe, putamus.

## Thes. XLVI.

Equidem sunt, qui ius relaxandi iudicio supermo tribuunt, quia ipsum Principem representat: sed aliud est iuramentum vitiosum pro invalido declarare, quod Judex propter iustitiae administrationem sibi commissam facere potest, & aliud relaxare & tollere effectum iuramenti nullo vitio laborantis & validi: hoc certe tanquam negotium maximi præiudicii, non nisi speciali mandato Principis fieri debere, sana ratio dicitat. Non enim suprema iudicia constituta sunt, ut omnia iura Principis exerceant, sed ut iustitiam partibus litigantibus administrent, & hoc respectu representant Personam Principis; sed obligationem, rite ac legitime inductam, iuramentoque confirmatam suo effectu privare, sane non proprie ad administrationem iustitiae pertinet, sed est potius reservatum Principis, quod, nisi ex hu-  
ius

E

ius speciali concesione, nemo exercere potest. vid.  
Stryk. Mel. III. cap. II. §. 30.

Thef. XLVII.

Licet autem hæc naturæ iuramentorum ac sanæ rationi quam maxime convenientia, ha-  
stenus tamen in alia omnia Juris Pontificii cum  
primis Doctores ivere, moti falsa illa, de qua  
iam diximus, persuasione, ac si iuramento pro-  
mislorio non tantum jus queratur Creditori, sed  
etiam Deo, iam autem non sufficere, quod  
creditori denegetur actio, hoc enim & pote-  
statem secularem facere posse plerique Canonici-  
starum concedunt, sed necessum esse, ut etiam  
ratione obligationis Deo quæsitæ relaxatio a Pon-  
tifice Dei Vicario petatur. Deinde finixerunt in  
iuramento singularem spiritualitatem, ideoque  
docuerunt, iuramentum esse speciem cultus di-  
vini, quare & adhuc notum proverbium: *Schwve-  
ren ist so gut als Beten*, ut hac ratione ad forum  
suum hanc etiam rem trahere possent, uti latius do-  
cuit Illustr. Dn. Thomasius in *Fundament. I. N. &  
G. loco supra tb. 30. citato*. Deinceps omni mo-  
do promoverunt Pontifices usum iuramentorum,  
ansamque superflua iuramenta exigendi & præ-  
standi dederunt. Cum itaque hac ratione usus iu-  
ramen-

ramentorum frequens introductus, & homines ad servandum omne iuramentum, quod citra dispensum salutis æternæ servari posset, constricti essent, doctrinam de relaxatione iuramentorum soli Pontifici & Clero competente, proposuerunt; ut hac ratione in tanta iuramentorum frequentia undique venirent homines, & dispensationem ac relaxacionem iuramenti præstigi pro magna pecuniæ summa peterent, ac ita fiscum papalem egregie augerent. vid. Stryk. l. c. §. 6. 7.

Theſ. XLVIII.


Inter Protestantes vero cum Principes iudicia quædam ecclæſiaſtica, vel potius mixta, quæ Conſistoria dicuntur, ordinant, alienum a ratione non est, ad ea quoque deferri aliquando cauſas iuramentorum, cum de coetero nec Magistratus ſecularis, veluti Cameræ Imperialis, nullæ hac in re ſint partes. Pro ut nec relaxationis nomen noſtris in foris infrequens eſt; quam tunc adhiberi debere dicunt, quando lege ab initio nullitas iuramenti declarata eſt. L. B. de Lincker in *Comm. ad D. tit. de iure iur. p. 69.* Sic urphedæ ab inferiori magistratu extortæ relaxationem indulget imperialis Camera. *Ord. Camer. P. II. Tit. 24.* Mynſinger *Cent. VI. obs. 84.* Gail. *Lib. I. obs. 23.*

E 2

n. 5.

n. 5. Mevius P. I. dec. 132. Pariter cessioni ad-  
versus Constitutionem Electoralem Saxonicam  
factæ, si iuramentum acceſſerit, cedenti relaxa-  
tione succurrendum, tralatitium est. Philipp. ad  
Dec. non. 28. obs. 1. in fine & si quæ huius  
generis sunt alia, de quibus hic dicendi locus  
non est, constituimus enim non nisi primas do-  
ctrinæ huius lineas in præſenti dissertatione duce-  
re, ex ipso rectæ rationis dictamine atque  
naturali iure petitas.

## T A N T U M.



*Praenobilissime et Consultissime Raffovi,  
Amicorum optume,*

**Q**uoniam variae eorum sint rationes, qui suum amicis officium praestant: peculiares mihi ego et proprias nunc esse intelligo, meritisimous TIBI honores praeclaramque virtutem gratulaturo. Laudum quasdam quasi copiolas conducunt multi, hoc est, versiculos hinc inde corrogant dicam? an emendant? non defunt iis fautores scribuntque, aut jubent scribi, quæ in alium quemque magis, quam laudandos, quadrant. Quod quidem boni ut nequaquam invideo optimis hominibus: ita non placuit mihi in presentia poëta esse, quam illud Tu minime omnium desiderares, Consultissime VIR, immo quam verissime laudes tue fuci prorsus admittant nihil. Placuit tamen vel duobus verbis pulcherrima hac occasione & quanti TE faciam, & honoribus tuis quam delecter, publice declarare. Interest enim egregii publici, similes tui esse plures, optimique rem exempli arbitror, præclara ingenia sua laude non fraudari. Itaque videor mihi vere de TE posse predicare, cum TE extitisse in hac Academia semper, quem pauci forsan imitentur, omnes tamen debebant certe, ii in primis, qui sacris Themidos operantur. Non vereor, ne temere quisquam hoc a me adfirmari autem. Cognitus enim mihi es, & perspectus inde ab longo tempore, quoniam videretur TIBI in contubernalio non tantum vivere tecum, sed alumnun etiam esse doctrinarum mearum, quas mirum est, quam cupide privatissima adeo TIBI opera tradi petieris. Cognovisti itaque illa, quæ vix centefimus quisque conditionis tue ad se pertinere existimat, disciplinarum fata, philosophiam omnem, ejusque historiam, & quacunque expectare a me poteras, singula in rem tuam sollicite, curaque prorsus singulari maximeque laudabili vertissi. De moribus tuis politis habeo plurima commemorare, neque commemorabo tamen, propterea ne modestiam tuam lacerere quodammodo videar. Vnum patere, uti addam, integerimum animum tuum, vitæ rationem, ad decorum compositam elegantiam, officiorum promptitudinem, non potuisse non ut apud me, ita apud reliquos id efficere, ut unus ante alios, amore præcipuo dignus cenereris. Sed quo rapior. Consultissime VIR? Again itaque

adline

ad huc paucis, quod potissimum agere constitui. Summam in utroque jure dignitatem ex animo TIBI gratulor, a DÉO Optimo, Maximo, devote precatus, uti eam TIBI fortunare clementissime velit, & qui ejus in bonos omnes favor est, hoc efficere, ut pro tua copia plurimum ad publicam litterariamque rem fructus & emolumenti adferas. Vale & quod te certo facturum scio, ex postero tempore favorem mihi tuum conserva. d. Jenæ d. x., Nov. an. M DCC XXIII.

Gottlieb Stolle  
Philos. Civil. Prof. Publ. Ord.

**W**er des Irrthums Schacken will von dem reinen Golde scheiden,

Und zuvor erst alle Säke an den Stein der Warheit reibt,  
Der wird leichtlich allen Land falscher Lehren flüglich meiden,  
Weil er ohne Untersuchung nicht bey alten Lehren bleibt.  
Dein Exempel, wehrter Freund, kan dies alles schön erklähren;  
Diese Deine nette Probe kan hiervon ein Zeuge seyn,  
Vorinn Du den falschen Wahn bey dem Eyde, bey dem Schweren

Uns benimmst, und diese Lehre scheint in den klärsten Schein;  
Hievor lässt Astraea Dir eine LorbeerCrone winden,  
Die sie ihren treuen Söhnen zum verdienten Lohnen schenkt;  
Denn sie denkt in deiner Ehr' ihren Nachsthüm mit zu finden,  
Und sie wird ihn kräftig merken, seit Du Dich zu ihr gelenkt.  
Fahre dann nun ferner fort Wahrheits Schäge zu entdecken,  
Stürz den Slendrian vom Trohne, und setz die Vernunft hinauf.

Dieses wird Dir ferner Ruhm in Astræens Reich erwecken  
So vollführstu mit Vergnügen Deinen ganzen Lebens Lauf.

Hicce Nob. Dn. Doct. applaudere voluit

A. G. Schnarmacher,  
Lüneb. LL. Stud.

6078


Jena, Diss., 1723

**ULB Halle**  
006 623 158

3







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



P. M. H.  
Publ. 17. num. 7.  
1823, 4

DISSE~~TATIO~~ INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
RELAXATIONE IVRA.  
MENTORVM  
*QVAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO HENRICO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE VVESTPHALIAE ET RELIQA  
PRAESIDE  
DOMINO  
IO. CHRISTIANO SCHROETERO  
IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO CVRIAEC PROVINCIALIS  
ATQVE SCABINATVS NEC NON FACVLTATIS IVRIDICAE  
ADSESSORE  
PATRONO ET PROMOTORE SVO OMNI PIETATIS  
CVLTV DEVENERANDO  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
RESPONDENS AVTOR  
JOHANNES HENRICVS RASSOVIVS  
GADEB. MEGAPOL.  
DIE XX. NOVEMBR. M DCC XXIII.  
L. H. Q. C.  
IENAE  
TYPIS IOH. ADOLPHI MULLERI.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE